

vir, ei insidiabatur; fugiunt autem ignobilem mortem animi generosi. Hinc Abimelech a feminis jactu lapidis prostratus, voluit ab armigero suo interimi ne diceretur manu feminæ intremptus, Judic. IX. Zebee et Salmana reges detrectarunt necari ab adolescentulo; voluerunt a viro, Judic. VII. Aristides mustelæ morsu ad necem vulneratus, dolebat se a tali bestiola, et non potius a leone vel pardali necari, *Ælian.* I. XIV. c. IV. Afri pro honore ducunt ab elephantibus in terfici, idque laudibus celebrant et honorifica sepultura, eod. auct. I. XII. c. LV. ergo et Elias hujusmodi ignobilem mortem videtur timuisse, et evasit Joannes, qui Herodiadis suggestione a dolo caput suum amisit: cuius proinde mors, quo ignobilior erat coram mundo, eo nobilior et gloriosior erat coram Deo. Major ergo in hoc fuit Elia; quia et inter natos mulierum nemo eo major. Delirari nimur mortales, qui extremo viâ tempore animam agunt, et sâpe de funeris honore, de sepulcralibus saxis et epitaphiis, de filiorum commodis, de quibusdam post se musculis, de nullius momenti reculis solliciti sunt et anxi, cum de re omnium maxime necessaria, de ratione Deo jam reddenda, de peccatorum expiatione, aut nullam aut levissimam suscipiant cogitationem. Fatui et illi qui ex ipsis, etiam gladiis, venenis, aliisque, quibus moriendum, instrumentis aucupantur gloriolam. Et quam sâpe falluntur! De *Alexandro imp. Lampridius:* *Tantum, ait, animi habuit, ut putaret se diis comparandum si in bello periret.* Sed res eum fecellit. Nam gladio quidem barbarico cecidit, et suo in tentorio, ab impura imbellique barbari scurrâ manu. De *Heliogabalo imperatore idem Lampridius:* « Paraverat funes blatta et serico et coco in tortas; quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret: paraverat et gladios aureos, quibus se occideret, si aliqua vis urgeret: paraverat et in cerauneis et hyacinthis et in smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid gravius imminaret: fecerat et altissimam turrim, substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere, et ad speciem luxuriæ, ut diceretur, nemo sic periisse. » Sed nihil ista valuerunt. Nam contra votum suum et occisus est per scurras, et per plateas fractus, sordidissime per cloacas ductus, et in Tiberim submissus est. Erratis ergo, impii, erratis. Quomodo cumque fiat, ferro, saxo, ligno, manu, semper gloriosa, nobilis, pretiosa est sanctorum mors in conspectu Dei; vestra vero semper ignobilis, obscena et infamis.

VII. In martyrio. Joannes quidem gladio Hero-

dis occubuit, et vere martyr fuit, quia velut praeco justitiae et defensor castitatis, reprehensor vero incestus Herodiani, conjugis incestus in instictu necatus est: Elias vero martyrium et ipse cum socio suo Henoch subibit, machinatione antichristi in civitate Jerosolymitana, ut habetur, Apoc. XI. Joannes, quia Herodis scelus libere redarguit, vitam martyr amissit: Elias, quia antichristum ejusque asseclas liberrime et ipse per urbes et pagos, ipsamque antichristi regiam reprehendet, et Christum prædicabit, vitam suam martyr amittet. Sic uteque victimâ Christi, ille castitatis fuit, hic religionis erit: uteque in cœlo similem laureolam ob similem vitam, cœlum et certamen obtinebit. Ipsorum vero hostes Herodes et antichristus suas quoque forte non dissimiles in inferno sortientur pœnas.

### CONCIO VI.

#### ROGI SOLSTITIALES TYPUS VANITATIS MUNDI.

I. Mundus mendicat bona sua. — II. Pueri sunt, qui mundum amant. — III. Non fruuntur bonis suis. — IV. Non diu gaudent. — V. Exacto gaudio solus manet cinis.

#### THEMA.

*Super omnia montana Judææ divulabantur omnia verba hæc. Luc. I.*

Video per hos dies, auditores, passim in montibus circumiacentibus, neenon in plateis urbium ignes festivos, ad vesperam accensos. Quid illi sibi volunt? Si Germanos audimus, indicant (ex vocabulo Germanico, quod significat ignis solstitialis) solem jam attigisse summum altitudinis gradum, adeoque jam cœpisse declinare et a nobis recedere, sensim subducendo suum calorem, suam amoenitatem, suam activitatem. Quia in re cum regis, quos nunc excitamus, magnam affinitatem habet. Illi enim cum ascenduntur, ignis paulatim in altum exurgit: deinde sensim deficit, subsidit et extinguitur, ad instar nimirum solis, paulatim ascendens, iterumque descendens. At vero, o filii hominum, quomodo in sole, quomodo et in rogo, quem vos accenditis, non videtis nec palpatis vanitatem et inconstiam gloriae hujus mundi? Quod speculum nitidius proponi vobis potest, quam hic ipse rogos? Et tamen in speculo, quod ipsi sibi proponunt miseri mortales, seipso non agnoscent. Ergo ad instar Socratis, qui ingenuos adolescentes ad speculum ducebat, ut in eo se contuerentur, ego quoque ducam filios hujus sæculi ad rogos illos

### IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

781

suos, ut in illis se inspiciant, et una mundi vanitatem.

I. Ad hunc rogom excitandum solent per vicinas domos emendicari ligna. Qui in mundo effulgere et splendorem suo nomini et familiæ excitare volunt, coguntur in hunc finem omnia emendicare, quæ commoda et necessaria sunt. Imprimis magnam dotem: a parentibus non tam accipiunt, quam mendicant ac sèpenumero extorquent, aut etiam lacrymis emungunt, quandoque etiam furto. Scimus illos duos fratres Jacob et Esau paternam hæreditatem, partim astu, partim lacrymis exorasse, et pro ea contendisse atque odia concepisse, Gen. XXVII. Axa illa filia Caleb, cum in dotem accepisset agrum, edocta a marito petere augmentum dotis, cum suspiriis id emendicavit: *Terram australem et arenem dedisti, junge et irrigua, Jos. XV.* Et quid aliud agunt sponsi, quando in suis nuptiis ad finem convivii apponunt scutellam in mensa, quam ut munera nuptialia, velut honoraria sibi emendent? Audimus regem Achab ab uno cive mendicantem quasi vineam, III. Reg. XXI. *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum; quia vicina est, et prope domum meam.* In quæ verba S. Ambros. I. de Nabothe, c. II. « Quæ alia, inquit, vox agentis est? Quæ alia vox stipem publice postulantis, nisi: Da mihi? h. e. da mihi, quia egeo: da mihi, quia a iudicandi subsidium habere non possum: da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. » Denique, jus regis, quod describitur, I. Reg. VIII. nonne aut ex mendicabulo constat? *Filios vestros tollit et ponet in curribus suis, etc.* Omnia nimur reges a subditis vi quadam extorquent, quasi jure regio. Unde enim nisi ex vectigalibus et contributionibus subditorum vivunt? Nonne illi ad reginarum cultum olim contribuere debebant, et alicubi adhuc debent? Testatur illud Cicero, Act. V. in Verrem, quem accusat, quod in questura sua sit ausus consuetudine uti regia, qua reginis ad ornatum attribuebantur civitates: *Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines, etc.* Hoc vero Tursellinus, in vita S. Xaverii, de regina Lusitanie, in cuius soccos emendos contribuebant Indi. Quid ad extremum dicam de dignitatibus, officiis, beneficiis, præbendis? Nonne hæc omnia multis obsequiis, munibibus, precibus, et quandoque lacrymis, togatorum precationibus, amicorum intercessiōibus emendicantur verius quam comparantur?

II. Pueri fere et juvenculi tantum sunt, qui rogos illos excitant, transiliunt et circumeunt: non

viri et adulti; multo minus senes. Qui sunt illi, qui ad parandum sibi in mundo splendorem, delicias et divitias adeo mendicant, cantant, currunt, laborant? Parvuli sunt et pueri, teste Sapiente, Prov. I. exclamante: *Usquequo parvuli, diligitis infantiam?* Non hoc ad infantes ætate (qui nonnisi infantilia sciunt tractare) loquitur, sed ad viros et maturos. Infantes tamen appellat, quia quod agunt infantes, ludendo par impar, ædificando e luto casas, equitando in arundine, sufflando bullas; hoc agunt mundi amatores, dum negotiantur, ædificant, equitant, monumenta sibi pomposa excitant. Pueri in campis ludunt, viri in curiis et officinis suis: illi crepundia, hi fluxa et caduca tractant. Demonstrata fuit illi *Alexandro M. lyra Paridis*, tamquam res magni momenti: sed ille desiderabat potius lyram Achillis, qua fortium virorum laudes canerentur. Quid lyra vilius? Quid puerilius? Apud *Ælian.* IX. var. hist. c. XXXVIII. qui immediate subdit, c. seq. « Quis neget hos mores et ridiculos esse, et absurdos? Primum Xerxis, quod platani amore capiebatur: deinde, cujusdam adolescentis Atheniensis, honesto loco nati, qui statuam bonae fortunæ ad Prytanæum stantem, deperibat, et sâpe in complexus ejus se insinuans, oscula dat: atque inde raptus in furorem, ostroque percutitus, propter cupiditatem, in senatum venit, et enixe rogavit, ut sibi eam liceret utcumque magno emere. At cum nihil proficeret, multis redimita tænis et coronis imagine coronata, oblato sacrificio, ipsaque pretiosi vestitu exornata, profusis innumerabilibus lacrymis, ipse sibi mortem concivit. Merito hic auctor ridet hunc adolescentem: sed nonne magis ridet sunt illi, qui pro fortunatissimo virtutis ac veræ felicitatis statu exanimem et frigidam instabilis fortunæ statuam tam furiose amplectuntur et exosculantur? Cumque mundo desiderato nequeant potiri, sibi mortem animæ stultissime consciscunt? Nonne hi pueri dicendi, stultiores isto puero? Et pueri quidem, ubi maturiores fiunt, rogos illos et crepundia spernunt: non ita tamen sectatores mundi; quinimo ad sepulcrum usque suis nugis immorantur. Audiamus de hoc B. Nilum in libro ascetico: « A pueris discamus ad præstantiora contendere. Nucibus, exempli gratia, et talis et pila ludunt; his illi se ludis oblectant, et sibi honori ducunt hæc comparare, quo ad prudentiam sunt imperfecta. At cum aliquis eorum in virum evaserit, ea abjicit, et ad gerendam rem publicam omne studium confert. Nos autem in infantia persistentes ludicra et risu digna suscipimus, neglectisque melioribus, prudentiam viris convenientem sumere recusamus, et terrenis in rebus

studium ac delectationem nostram collocantes, risum movemus his, qui natura duce recte iudicant. Quemadmodum enim turpe est, virum aetate provocatum in cinere aut pulvere consentem puerilia describere; ita turpe, imo longe turpius est eos, qui se rebus alterius saeculi perfruendis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari, et studiorum turpitudine professio- nis sue fædere perfectionem. »

III. Ex lignis illis undique conquisitis luculentum rogum accendent, sed nulli prorsus usui. Neque enim ad illum se calefaciunt, neque laborant, neque coquunt aliquid; sed præcise eum aspicere, transilire et cum choro atque canto circumire gaudent. Per ignem veteres nominis splendorem et gloria designabant, teste Pierio, l. XLVI. hierogl. unde Persarum regibus ignem præferre solebant. Et hoc est, quod potissimum querunt mundi asseclæ, nominis splendorem, familie sue exaltationem, ac denique potentiam. Verum in primis non semper nec continuo exoritur hic ignis multis sufflationibus, mellis foementis opus est, donec flamas in altum mittat, donec splendor hic acquiratur. Deinde, licet invalescat, quid inde utilitatis habent, qui eum accendent? Circumstant et aspiciunt illum. Et hoc unum fere mundani habent, quod honores, prædia, thesauros, vestes suas splendidas aspiciant. Ita enim clare Ecclesiastes, c. V. assertit: *Quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?* Quod et bene indicavit ille primus, qui ad cenam magnam invitatus, excusavit se: *Quia, inquit, villam emi et necesse habeo exire et videre illum,* Luc. XIV. Tota fere delectatio, totus visus est in videndo. Ignem aspicere potes, et parumper inde lætari; sed tangere non audes. Quam multi intuentur solum aureos suos nummos, aurea sua vina, aureas vestes et similia; tangere tamen non audet? Non expendere? Non haurire? Non induere? Deinde, ignem hunc in choro et canto circumeunt: interim tamen eundo nihil proficiunt, licet toto die ambulant. Rotæ molendi diu noctuque gyrant, nullo tamen progressu: *Same exæctas adam et ipse vertens, totis ambulavit dñe;* *Tanquam tarzen e molendino egressus nec ad terram venam,* unde miser abductus erat, regnans est: *sed eodem semper foco hæsit,* Jud. XVI. Quid molam hujus mundi vertant, honor er, spes, deicias quærum; nonne et ipsi certe laborant, currunt, discurrent, cogitant, exigitant usque ad vitæ periodum? Sed quid ibi demum inveniunt? Quos ad veram felicitatem progressus faciunt? Nulos omnino; sed inveniunt seipso eodem plane loco: æque miseros, nudos, inopes, famelicos, desola-

tos, ut antea erant. Sic redeunt in terram, unde exierunt. Atque istud est quod Ps. XI. dicitur: *Impii in circuitu ambulant. Qui rerum magis specie, quam auctore delectati, prius universa percurrente, et de singulis cupiunt experiri, quam ad ipsum current universitatis Dominum pervenire,* ait S. Bernardus, in illum locum, in l. de diligendo Deo, velut si quis hinc Viennam ad imperatorem iturus, civitatem nostram semper circumiret et omnino lustraret; nec tamen hinc egredetur.

Denique, pueri ignem illum transilire gaudent. Idem agunt mundi asseclæ, dum splendorem suum, quem sortiti sunt in honore, opibus, voluptatibus, quasi minus iis contenti transcendere laborant, et altius altiusque supra alios saltare. Quis enim suis bonis ita contentus esse cernitur, ut non plura et plura desideret, quasi nihil adhuc habeat? Certe etiam in ipso Christi collegio Jacobus et Joannes, postquam in consortium et familiaritatem Christi speciale adsciti sunt, neicum sua fortuna contenti, altius exsilire supra alios condiscipulos ad Christi dextram et sinistram cupiebant. Quanto facilius credas, non a Christi sed a mundi sectatoribus hujusmodi saltus edi, ut statum suum evehere supra alios laborent? A' vero ut illis saltibus multi incauti pueri sese comburunt; ita etiam ac sapissime, qui forte sua non contenti, ad altiora contendunt. Deprehendunt se invidiæ expositos, curis et sollicitudinibus oppressos, laboribus oneratos, casui propinquos. Hinc Sap. V. fatentur ex inferno: *Lassati sunus in via iniurialis et perditionis, et ambulamus vias difficiles.*

IV. Ignis ille parum durat, forsitan ad horam unam aut mediæ, aut sensim extinguitur, et omnibus ad sua obœurtibus destituitur, nec ab ullo foveatur amplius aut curatur. Sic se habent mundi gaudia et alia bona omnia. Nam, ut ait S. Bernardus, ser. IV. in oct. epiph. « Cum de transitoris quis lætitiam quærat, non poterit non lætitia ipsa transire transeuntibus his, de quibus erit. Sicut enim deficientibus lignis, deficit quoque ignis; sic, quia mundus transit et concupiscentia ejus, haud dubium, quin et lætitia quoque. » Sic ille. Gaudent filii hujus saeculi in conviviis, musicis instrumentis, ludis, venationibus, prædiis et hortis suis: venit lactuosa mors, quæ omnia hæc aufert, et sic omne gaudium perit. Audiant hi Jobum, c. XXI. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exullant (velut pueri transilientes rogum) lusibus. Tenent tympanum et citharam, gaudent ad sonum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Videmus hic ad vivum depictos puerorum rogos: sed non videtur Job loqui de par-

vulis estate (hi enim nesciunt musicam) sed potius de hujus saeculi filiis, qui insipientia sunt pueri. In vita hi felices putantur, quia saltant et lasciviant in bonis suis, ut greges hoedulorum in campis: repentina interim ohruuntur morte; quasi icti ab aspide, qui non sentiunt se ictos, adeoque nec cruciantur, donec repente concidant. Sic icti erant Iudei, qui ante Domino, Joan. V. lucernam illam Joannem Bapt. videntes, voluerunt: *Ad horam exultare in luce ejus;* sperantes ab ipso, si Messias foret, regnum temporale, felicissimum et opulentissimum: mox tamen se delusos videbunt, et postea, ut Joannes eis prædictus, e regno suo excisos.

Quinetiam quandoque dum in vivis sunt, a statu felicitatis dejiciuntur, et in summas angustias incidunt: quemadmodum et pueris saepe, dum adhuc presentes sunt, necum finita sua lætitia rogus extinguitur: quo casu undique discurrunt et ligna conquerunt, quibus deficientem ignem foveant ac conservent, nec tamen inveniunt. Scimus in nuptiis Canæ, dum adhuc considerent conviva et sibi mutuo propinarent, neendum peracto convivio vinum defecisse, Joan. II. ita sane permultis dum adhuc in mundi hujus deliciis et gaudiis sedent, deesse vinum, seu materia gaudi, incipit. Dejiciuntur forte ab officiis, vel nimio luxu aut ignavia sua bona prodegerunt, vel a Deo puniti magna aliqua clade, rerum jacturam fecerunt. Primum accidit Carolo III. imp. dicto Crasso, qui Francofordia dejectus ab imperio, desertus ab omnibus etiam famulis triduo integrum, fame periisset, nisi Luitbertus Moguntinus archiepiscopus, commiseratus hominis fortunam, aliquot cum diebus pavisset. Is postea ab Arnulpho, imperii successore, patruele suo, victum saltem expostulans, obtinuit pagum unum in Suecia, dictum Neydig, ubi pergeret, et vici redditibus vicitaret, prius occidentis locupletissimus imperator, Rhegino, libro II. Aventinus, lib. IV. annal. Boiorum. Alterum, Dionysio juniori Siciliæ regi; qui cum imperium haberet optimè constitutum, ignavia tamen et ebriositate ac crudelitate perdidit, exul Corinthi in extrema paupertate miseram ducens vitam, teste Äliano, lib. VI. var. hist. cap. XII. Tertium, Boleslao III. regi Poloniæ: qui ob interemptum S. Stanislauum, conscientia stimulus agitatus, et omnibus exosus, e regno profugit, atque (ut aliqui volunt) errabundus in Carinthia montes venit; ubi in monastério Osiach occulta ministeria culinæ obiisse, vitamque finisse inter coquos ex traditione ejus loci fertur, et scribitur a Matth. Michovia, lib. II. rerum Polon. cap. XX. Cromero, lib. IV. Quod si etiam regibus accidit interdum, quanto facilius et

frequentius contingere privatis et potest et solet? Sic nimirum fatuae virgines, ubi oleum suum absumperunt, mendicare coguntur ab aliis: *Date nobis de oleo vestro.*

V. Ad extremum, rogo illo extincto, desinit omne gaudium omnisque festivitas, nec remanet in medio nisi cinis e tam festivo et luculento igne. Fatentur hoc idem de se filii hujus saeculi, Sap. II. *Qua extincta (scintilla sermonis et vita nostræ) cinis erit cor nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aer, et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, etc.* Festive sane Darium Persarum regem Semiramis regina Assyriorum elusit: constructo enim suo loculo, hæc verba insculpsit: *Si quis rea pecunia indiguerit, is, recluso hoc monumento, sumet quantum vollet.* Advolavit illio Darius post reginæ mortem, nec aliud in eo invenit, quam cineres et ossa extinctæ Semiramidis, Plut. in apophth. CLXV. Mundi hæc delusio est promittentis tibi nescia quos aureos montes: at vero post mortem non exhibit nisi cineres, quia aliud nil remanet. Eo itaque desinit mundi pompa et lætitia, in cinerem, in nebulam, in nihilum. Quod expendens S. Bernardus, in meditat. « Dic mihi, ait, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit, nisi cineres et vermes. Attende diligenter qui sunt et fuerunt: sicut tu, comedenter et biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. » Reges Nabathæorum in sterquilino defodiebantur, et cum illis ingentes etiam thesauri, ut auctor est Strabo. Quis hæc considerans illos estimabit? Bene de his Ezech. VII. dicitur: *Argentum tuum foras projicietur, et aurum tuum in sterquilinum erit.*

Quamquam, ne erremus, extincto solstitiali rogo, remanere aliquid solet. Sed quid illud? Area terræ in qua arsit, undique exusta et quasi stigmate notata, sterilis et atra. Tale etiam vestigium relinquunt ab iis, qui mundi vanitatem et gaudia sectati sunt: terra peccatis eorum contaminata, domus sceleribus infamis, fama nominis denigrata, patrimonium parentum absumptum, hæreditas liberis relinquenda absorpta, subditæ pauperes exossati, animæ seductæ, exempla putida. De his loquitur, cit. c. II. Sap. *Nemo nostrum exors sit luxuriaz: ubique relinquamus signa lætitiaz, quoniam hæc est pars nostra.* Chersydros serpentis est, qui, quacumque serpit, fumum emitit, Lucano, lib. IX. teste: sic illi fumum infamia et dedecoris, et viventes ubique spargunt, et mortui relinquunt. Quid de Sodomitis superstes: *Quibus in testimonium inequitaz, ait Sapiens, Sap.*

X. Constat fumigabunda terra deserta, et incerto tempore fructus (inanes prorsus) habentes arbores; et incredibilis animæ memoria stans figuratum sati, sapientiam enim prætereunte non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed etiam insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his quæ peccaverunt, nec latere potuissent. Teter ille fumus e lacu illo exiens, quo deferente pertingit vento, cuncta sterile facit, teste Borcardo, de loc. sanct. I. p. c. VII. n. XXXVIII. Josepho, Hegesippo, et Turtulliano. Et quid tandem manet istis qui tales excitant rogos? Ad hoc respondet Isaías, e. L. *Ecce vos omnes, inquit, accidentes ignem, accincti flammis* (Heb. *cincti scintillis, quas*

scilicet undique sparsistis vestra luxuria) *ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis, quas succendistis.* De manu mea (Christi judicio) factum est hoc vobis. In doloribus dormietis. Pueri, post extinctus rogos suos, cubitum eum ad lectos suos. At vos impii, quo ibitis? Ubi dormietis? In doloribus dormietis, in flammis gehennæ; quale statum obtinuit Balthasar rex, occisus noctu in convivio, de quo dicitur Isa. XXIV. *Subter te sternetur tinea, et oportentum tuum erunt vermes.* Hæc pars, hæc sors illorum: *Pluet super peccatores laqueos: ignis, sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum, Ps. X.*

# INDEX CONCIONUM

## PRIMÆ PARTIS FESTIVALIS.

---

### IN FESTO S. ANDREÆ.

1. Variae conscientiæ . . . . .
2. Homines comparantur piscibus. . . . .
3. Cur elegerit Christus homines simplices, abjectos, pauperes in apostolos . . . . .
4. Hæresiarchæ nostri temporis eorumque sectatores, cuiusmodi sint piscaiores.
5. Qua ratione omnes Christiani sequi possint ac debeant Christum. . . . .
6. Qua ratione Sanctus Andreas Christum secutus sit. . . . .
7. Documenta evangelii. . . . .
8. Mysteria . . . . .

### AUCTARIUM.

1. Mundus similis mari Tiberiadis . . . . .
2. Crucem quæ faciant amabilem. . . . .
3. Andreas virilis seu fortis. . . . .
4. Cruz Andreana, in qua boni male, mali bene habent, mitigatur. . . . .
5. Mira Andreæ et aliorum apostolorum vocatio . . . . .

### IN FESTO NICOLAI.

1. Quinque talenta ad meritum exercenda et in Ecclesia dispensanda, dispensata a Sancto Nicolao, quinam defodian. . . . .
2. Cur institendum sit aliquando iudicium universale. . . . .
3. Unumquemque suis talentis contentum esse debere . . . . .
4. Quid debeant parentes liberis . . . . .
5. Quid debeant filii parentibus . . . . .
6. Usura damnatur . . . . .
7. Documenta evangelii. . . . .
8. Mysteria evangelii . . . . .

### AUCTARIUM.

1. Vitra pernicioса qui parentes imponant filii suis . . . . .
2. Nicolaus quomodo victor populi fuerit . . . . .
3. Virga tribulationis honesta, utilis, jucunda. . . . .
4. Quis fidelis Dei servus . . . . .
5. Quid non imponere debeant liberis parentes. . . . .

### V. PARS FESTIVALIS.

### IN FESTO CONCEPTIONIS B. M. V.

1. Multiplex liber homini propositus . . . . .
2. Quomodo sine injurya, originale peccatum ad posteros Adæ traducatur. . . . .
3. Privilegia Deipara seu scælae duodecim, quibus a Filio coronata est . . . . .
4. Gemmæ duodecim quibus Deipara coronavit Filium. . . . .
5. Quam similis Filio Deipara . . . . .
6. Qua ratione Beata Virgo contriverit caput serpentis . . . . .
7. Christi ortus cur tamdiu, ad ultimam mundi ætatem dilatus sit . . . . .
8. Mysteria evangelica. . . . .

### AUCTARIUM.

1. Genealogiæ Christi effigies . . . . .
2. Genealogia Christi ludo latrunculorum similis . . . . .
3. Beata Virgo castitatis, humilitatis et paupertatis magistra. . . . .
4. Qualis sit hic liber generationis Christi . . . . .
5. Beata Virgo lunæ comparatur . . . . .

### IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

1. Multiplex fides imperfecta. . . . .
2. Qui et quando potissimum fides profienda sit . . . . .
3. Incredulitas S. Thomæ quamobrem in Ecclesia proponatur . . . . .
4. Motiva contritionis desumpta ex gravitate peccati quatenus est contemptus Dei. . . . .
5. Commendatur frequens communio. . . . .
6. Dispositio requisita ad sanctam communionem. . . . .
7. Documenta . . . . .
8. Mysteria. . . . .

### AUCTARIUM.

1. Plures in mundo Didymi . . . . .
2. Quinam pertinaces Thomæ asseciæ. . . . .
3. Christus quomodo Dominus noster et Deus noster peculiariter titulo . . . . .
4. Fides melior ac beatior quam scientia et sensuum notitia . . . . .
5. Quomodo excipiendus in s. communione Christus verbis S. Thomæ. . . . .